

mur, et benedicimus¹⁾). Audierat enim dicentem: Diligite inimicos vestros, orate pro calumniantibus et consequentibus vos²⁾). Ideo ergo Paulus persecutionem patiebatur, et sustinebat, quia vincebat et mitigabat humanum affectum propositae mercedis gratia, ut filius Dei fieret, si dilexisset inimicum. Tamen et sanctum David in hoc quoque genere virtutis imparem Paulo non fuisse edocere possumus: qui primo quidem cum malediceret ei filius Semei, et crima objiceret, tacebat et humiliabatur³⁾, et silebat a bonis suis⁴⁾, hoc est, bonorum operum conscientia: deinde expetebat maledici sibi, quia maledicto illo divinam exquirebat misericordiam. Vide autem quomodo et humilitatem et justitiam et prudentiam emerenda a Domino gratiae reservaverit. Primo dixit: Ideo maledicit mihi, quia Dominus dixit illi, ut maledicat⁵⁾). Habes humilitatem: quia ea, quae divinitus imperantur, aequanimiter quasi servulus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: Ecce filius meus, qui exivit de ventre meo, quaerit animam meam⁶⁾). Habes justitiam. Si enim a nostris graviora patimur, cur indigne ferimus, quae inferuntur ab alienis? Tertio ait: Dimitte illum ut maledicat, quoniam dixit illi Dominus, ut videat humiliationem meam, et retribuat mihi Dominus pro maledicto hoc⁷⁾). Nec jam solum conviantem pertulit, sed etiam lapidantem et sequentem illaesum reliquit, quin etiam post victoriam petenti veniam libenter ignovit⁸⁾). Quod ideo inserui, ut Evangelico spiritu sanctum David non solum inoffensum, sed etiam gratum fuisse convianti docerem, et delectatum potius quam exasperatum injuriis, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. Sed tamen quamvis perfectus, adhuc perfectiora quaerebat. Incalcebat injuriae dolore, quasi homo, sed vincebat spiritu, quasi bonus miles; tolerabat quasi athleta fortis. Patientiae autem finis, promissorum expecta-

1) 1 Cor. 4. 2) Matth. 5. 3) 2 Reg. 16. 4) Ps. 38. 5) 2 Reg. 16. 6) Ibid. 7) Ibid. 8) Ibid.